



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

II. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

I. Christo Jesu addicitur Psalm. 21. 17. II. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. III. Secundum argumentum. IV. Thau Samariticum $\tau\alpha\upsilon\sigma\alpha\delta\iota\varsigma$, Ezechieli memoratum, crucis Christi symbolum. V. Christo Jesu addicitur Zach. 12. 10. & 13. 6. VI. Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. VII. Secundum argumentum. VIII. Disputatur utrum in Psalm. 25. 10. genuina sit scriptura hæc, Dominus regnavit à ligno.

I. **P**SALMO vicesimo primo Christum prædici, & in Propositione septima, & iterum deinde ad centesimum vicesimum tertium Parallelistini caput evicimus. Non semel ergo petita ex eo oracula in testimonium adduxerunt Novi Testamenti Scriptores; quod non fecissent utique, nisi Psalmum vulgo in eandem flecti sententiam exploratum habuissent. At non levis controversia mota est super decimo septimo commate, quo supplicium Christi Jesu clarissime præsignatum est. Nam quod habet Vulgata Interpretatio: *Foderunt manus meas & pedes meos*, Ebraice in $\text{כָּרַו יְדַי וְרַגְלַי}$ sic conceptum est: *כָּרַו יְדַי וְרַגְלַי. Hanc lectionem secuti sunt Septuaginta Interpretes: verterunt enim: $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma \chi\epsilon\iota\rho\alpha\varsigma \mu\omicron\upsilon\varsigma \kappa\alpha\iota \pi\omicron\delta\alpha\varsigma$. Sic Syrus Interpres, sic Arabs. At in כָּרַו , pro כָּרַו scribitur כָּאָרַו : ut sensus sit: *Sicut leo manus meas & pedes meos*; quæ cum pendula sint & imperfecta, ad explendam sententiam addi volunt hujus lectionis assertores, *observaverunt*, vel *memoraverunt*, vel *laceraverunt*, aut aliquid hujusmodi. Quod videtur secutus Paraphrastes Chaldaus, adjecta dictione ad integritatem sententia: Ita & R. Selomoh Jarchi. Aben Ezra repeti jubet כָּרַו כָּאָרַו , circumdederunt, quod est in superiori commate. כָּאָרַו Judæorum fraude confectum fuisse queruntur Christiani: contra à Christianis nativam scriptionem in כָּרַו recoctam Judæi caussantur, ac inter eos præcipue R. David Kimchi. Utri verius, existimare promptum est. Nam כָּרַו legerunt Septuaginta Senes, ut dixi, vetustissimi Interpretum omnium Scripturæ sacræ qui supersunt, Christo Jesu antiquiores; verterunt quippe $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma$. Deinde ex כָּרַו וְכָרַו apparet utramque lectionem Ebræorum libros habuisse. Habuerunt certe Codices quidam כָּאָרַו , ut ipsi testantur Masorethæ, quod à Christianorum lectione differt unica litera א . Eam esse paragogicam Judæi nonnulli fatentur. Atqui certum est abfuisse illam ab optimis quibusdam exemplaribus Christianorum, quorum Judæi ipsi integritatem & fidem agnoverunt. Quid quod traditur in parva Masora, vocis ipsius כָּאָרַו significationem eodem ac significationem vocis כָּרַו recidere; nempe, opinor, quod sive unguibus, sive dentibus utatur leo ad capiendam & vorandam prædam, carnes pungit & perfodit. Quod cum ita sit, mihi ea longe videtur præferenda lectio, quæ integra est, & $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma \tau\omega \delta\epsilon\omega\tau\omicron\upsilon\varsigma$, ei quæ trunca est & pendula, & animum relinquit incertum. Probabile est hoc provenisse ex Tikkun sopherim, sive *Correctione Scribarum*, qui ut præclari hujus oraculi vim alio converterent, in crustarunt vas sincerum, quod & alibi sæpe factum ab iis alii observarunt.*

Christo Jesu addicitur Psalm. 21. 17.

II. At crimen in Christianos retorquet R. Lipman in Nitzachon, atque vaticinium hoc ab iis adulteratum ex eo probat, quod à Judæorum moribus abhorreret, noxios cruci suffigere. Verum quo tempore interfectus est Christus Jesus, jus vitæ & necis Judæis erat ademptum. *Nobis*, inquiunt, *non licet interficere quemquam*. At judicia capitalia & supplicia moribus Romanis tunc exercebantur. Supplicium ergo juxta alienos mores Jesu irrogandum esse prædixit David, irrogatum Evangelistæ rulerunt. Cæterum à Lipmanni criminatione Christianos satis vindicant Interpretes Septuaginta, qui, ut jam notavi, כָּרַו legerunt, & verterunt, $\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma\alpha\upsilon\tau\omicron\upsilon\varsigma$.

Refelluntur argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Joh. 19. 31.

III. De lectione non disputat Theodorus Mopsuestenus, verum nullam hic futurorum, sed præsentium duntaxat significationem contineri pertendit. Totum ergo ad allegoriam convertit; atque id, *Foderunt manus meas & pedes meos*, exponit, Arcana mea scrutati sunt, & hoc translatum putat ex iis quæ scrutando & fodiendo eruantur. *Dinumeraverunt omnia ossa mea*, tractum esse vult ex eorum consuetudine, qui devictorum hostium bona recensent. Violenta sane & inverecunda fuerit utraque translatio hæc, si translatio est. *Ipsi vero consideraverunt & inspexerunt me*; ea nimirum, inquit, patientem quæ volebant. Recte, nam id Christianæ expositioni congruit. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*; hoc est, inquit, *Facultates meas vi ademptas forte inter se partiti sunt*; quam interpretationem amplectitur Grotius. Paulo quidem tolerabilior illa est, sed non ita tamen, ut eam quæ est אָרַו לֵינֵן , & nativos ac obvios verborum sensus in rebus gestis quæ

Secundum argumentum. Theod. Mopf. Coll. 4. Conc. Constant. 11.

